

91

FRANC. FABRICIUS MAR  
CODVRANVS LITERARVM  
STVDIOSIS. S. P.

**Q**uod iam diu in rem vestram incho-  
atum habuimus, id iam tandem his  
otiosis diebus, quibus à publico docendi  
munere vacamus, pro virili parte absol-  
uimus. Itaque vobis offerimus Terentij Co-  
mœdias, è quibus M. Antonius Muretus,  
homo in bonis auctioribus emendandis be-  
ne peritus, & magna cum disciplinarum  
intelligentia, menda, quæ lepidissimas fa-  
bellas deformabant, sustulit, veramque le-  
ctionem restituit: cuius ratio cum paucis  
locis ab ipso reddita esset, nosque fore vide-  
remus, vt eam vos pluribus requireretis,  
has annotationes adiecimus: in quibus &  
Mureti lectio confirmatur, & si quid ab  
alijs viris doctis, qui in hoc auctore emen-  
dando studium posuerunt, notatum est,  
comprehenditur. Contulimus cum Mure-  
ti libro alios quatuor emendatos, vnum ab

AD STUDIOSOS.

Erasmio, alterū à Goueano, tertiū à Lol-  
gio, quartum à Io. Riuio, & Geor. Fabricio:  
è quibus omnia, quæ vel cōueniebant,  
vel discrepabant, breuiter descripsimus.  
Inprimis autem secuti sumus fidem vete-  
ris libri Veneti, cuius auxilio Muretus lo-  
cos per plurimos correxerat. Multum eti-  
am nos adiuuerunt antiqui Grammatici,  
maxime Priscianus, qui Terētij testimo-  
nio libenter vtitur. Atque hunc equidem  
laborē, vt ad vestra studia adiuuenti ali-  
quid afferrem, suscepi: si vero id quod stu-  
dii, consecutus non sum, sic habete, mihi  
non voluntatem perficiendi, sed facultate-  
m defuisse. Valete.

M. Anto.